



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illvstrivm Virorvm Poemata

Cesarini, Virginio

Antverpiae, 1662

Villa Farnesia in Ianicvlo, ad Portam Avreliam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-7990

Latere Virtus nescia præpete
 Sublime pennâ fertur, ut ignibus
 Iungatur æternis. In auras
 Nónne vides ut auita surgat
 Quercus vetusto stipite nobilis?
 Nam sub profundam quò latet altius
 Demissa tellurem, supernas
 Fronte ferit propiore sedes.
 Non illa cladem sibila Thraciae
 Latura campis, damnáve Pontici
 Furoris, aut Cauri procellas
 In segetem pauet irruentis:
 Immota sed se mole regit suâ
 Annosa centum brachia proferens,
 Thracumq; sustentat cruentas
 Exuuijs onerata clades.

VILLA FARNESIA IN IANICVLO, AD PORTAM AVRELIAM.

Hospes optime, qui sacros penates
 Et leta ingrederis vireta, salue.
 Illa hæc est regio beata, nomen
 Cui Ianus dedit, aureumq; sæclum,

A
 Quò
 Non
 Sed 1
 Et l
 Hic
 Aff
 Hic,
 Cuba
 Non
 Fonte
 Quai
 Fæda
 Sed fi
 Tellu
 Vitro
 Hinc
 Sorac
 Hinc
 Alb
 Hinc
 Et C
 Ac
 Hinc
 Quee

Quo Curæ nequeunt graues subire,
 Non Morbi, aut pede debilis Podagra:
 Sed Pax candida, sed Quies fidelis,
 Et locum colit innocens Voluptas.
 Hic molles, Boreâ furente, mulcent
 Afflatu Zephyri roseta blando.
 Hic, cum Sirius arua findit, ilex
 Cubanti gelidam ministrat umbram.
 Non hos inficiunt luto recessus
 Fontes turbiduli, grauesq; ventri,
 Quales finitimis scatent in agris,
 Fœdarum soboles iners paludum:
 Sed fruges alit uberes aquæ fons
 Telluris scatebris petitus imis,
 Vitro purior, & salubris haustu.
 Hinc altâ niue candidum tueri
 Soractem iuuat, & rudes Sabinos:
 Hinc Tibur vetus, Algidoq; iuncta
 Albani iuga, Tusculosq; colles:
 Hinc latè maria, Antiumq; priscum,
 Et Circes vada carminum potentis.
 Ac tandem ut redeamus, Hospes, ad nos,
 Hinc totas licet æstimare villas,
 Quies totam licet æstimare Romam.